



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod Deus subjecit omnia servituti hominum, 20

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

misque donariis tuorum beneficiorum, me sine intermissione nutriti, & quasi filium tuum parvulum tenellum, uberibus tuæ consolationis lactasti & confortasti me. Ut enim tibi totus servirem, omnia quæcunque fecisti, in meum servitium tradidisti.

C A P V T XX.

Quod Deus subiecit omnia servituti hominum.

I. **O**Mnia pedibus hominis subiecisti, ut solus homo totus tibi subiceretur. Et ut tuus totus homo esset, super omnia opera tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti; ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te: ut tibi soli vacaret, & te solum amaret; possidens te ad solatium, inferiora vero ad servitium. Quicquid enim cœli ambitu continetur, inferius ab anima humana est, quæ facta est, ut summum bonum superius possideret, cujus possessione beata fieret: cui si adhæserit, cunctorum mutabilium inferiorum necessitudines supergrediens, illius summæ majestatis, cujus æmulatur speciem, æternæ immortalitatis faciem cum serenitate videbit. Tunc vero illis bonis optimis fruetur in domo Domini, quorum comparatione cuncta hæc quæ hic cernimus, velut nihilum computantur. Illa sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et hæc quidem **Domine**

mine daturus es animæ. His etiam quotidie lætificas animas servorum tuorum, qui amas animas.

2. Quid miror hæc, Domine Deus meus? Imaginem quippe tuam honorificas, & similitudinem tuam, ad quam creata sunt. Nam & corpori nostro, licet adhuc corruptibili & ignobili, ut videret, dedisti cæli claritatem per manum ministrorum tuorum indefessorum Solis & Lunæ, qui præcepto tuo jugiter die ac nocte deserviunt filiis tuis: ut spiraret, largitus es aëris puritatem; ut audiret, sonorum varietates; ut odoraret, odorum suavitates; ut gustaret, saporum qualitates; ut contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. Adjuvamenta suis necessitatibus dedisti jumenta: volucres quoque cæli, & pisces maris, & fructus terræ ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti. Singula solatio singulis malis obviantia præparasti, quoniam es misericors & miserator; & novisti figmentum nostrum, figulus noster, & nos omnes quasi lutum in manu tua.

C A P V T XXI.

Quod ex consideratione bonorum temporalium, colligitur magnitudo cælestis consilii.

1. **E**N aperiatur mihi misericordia tua magna, lumine tuo illustra (quæso) magis adhuc, ut mihi magis aperiatur. Nam ex his minimis tua magna, & ex his visibili-
bus,